



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An sola fides iustificet peccatorem. tit. 48

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

gradus laboris, Matthæi 25. Possidete regnum.

Quintò, hæc doctrina de medijs, primò non derogat Christi merito. Nam hæc non sunt causa iustificationis, sed solum media quibus capaces efficimur merito Christi: semper causa apud solum Christum manet, 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis. Subindè hæc doctrina excludit omnem fiduciam operum, eò quòd omnia in Christum transferuntur, 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti &c.

Postremò excitat, ne reiiciamus & contemnamus opera bona & Sacramenta, tanquam sordescerent. Sunt enim media, causa sine qua non iustificamur & saluamur. Ioan. 3. qui non credit, iam iudicatus est. Mat. 19. Si vis ad vitam ingredi &c. Vocatur quoque regnum Dei, merces pro bonis operibus, Matthæi 5. Fides per media Sacramentorum apprehendit Christum, & omnia dona sua, Rom. 8. & fides per obedientiam decalogi, accidentalia præmia, 1. Cor. 15. Differt stella &c. Iustificatio est remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, acceptatio personæ ad vitam æternam, & renouatio vitæ hominis: fides quidem apprehendit, sed hæc apprehensio nihil est: non proderit, nec retinetur, nisi renouatio vitæ & operum sequatur. Quid proderit scientia sine vsu? Christus non iussit solum apprehendere iustificationem sola fide, sed etiam retinere, & quæ sequi debent facere, id est, poenitentiam, charitatis opera &c.

*AN SOLA FIDES IUSTIFICET PECCATOREM.*

TITVLVS XLVIII.

**R** Imò, quoniam hoc verbum iustificari, tria includit, remitti peccatum, acceptari in filium, & ad hæreditatem æternam. Hæc tria, quoniam solus Deus facit propter Christum, idèd solus Deus est qui iustificat.

stificat. Rom. 8. Deus est qui iustificat. Et Rom. 3. Verus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & preputiū per fidem, Act. 13. Notum sit vobis, inquit Paulus, quia per hunc vobis annunciat remissio peccatorum ab omnibus ijs quibus non potuistis in lege iustificari, &c. At in hunc omnis qui credit, iustificatur: Ergo solus Christus causa est iustificationis.

Subindè, ex quo neque fides, neque charitas, spes &c. est Christus aut Deus, ideò nulla virtus, nullum opus iustificat effectiue & propriè, sed solus Deus per media illa iustificat, id est, fidem, dilectionem, Sacramenta, obedientiam legis. 1. Corin. 12. Vnus & idem Deus est, qui operatur omnia in omnibus, per laborem agricolæ, dat incrementum, 1. Cor. 3. per Magistratum custodit ciuitatem, regit & conseruat omnia. Rom. 13. Per fidem & pœnitentiam, Mar. 1. per fidem & Baptismum, Marc. vlti. per fidem & conscientiam bonam, 1. ad Timot. 1. iustificat Deus, id est, distribuit gratiam Christi, & fides primò gradum apprehendit per media, id est, Sacramenta. At charitas & obedientia legis, sunt media, per quæ Deus operatur retentionem iustificationis, &c.

Tertiò, Deus qui eodem actu & momento accipit peccatorem, & donat Spiritum sanctum cum suis virtutibus, Gala. 5. quas postea idem Spiritus sanctus in adulto, & rationis compote operatur: Ideò non possunt separari hæc, id est, fides, charitas, spes, timor, &c. quoniam omnia simul vno momento infunduntur cum Spiritu sancto in baptismo, ad Tit. 3. Actonè. Ideò quoties scriptura loquitur de fide, non excludit dilectionem, & è diuerso, ideò de sola fide nusquam dicit, sed semper fidei iungit dilectionem, per quam operatur fides: Ideò sola fides non iustificat, &c.

Quartò, erroneę igitur sunt propositiones illæ, quæ dicunt, sola fides me iustificat & filiū Dei facit, saluat, sine operum addito operum: nam ibi excluduntur, charitas, timor, &c.

mor, Sacramenta, opera præceptorū Dei, quæ omnia sunt media, per quæ distribuit Deus gratiam Christi, & retinetur, sine his medijs nemo iustificabitur & saluabitur.

Quinto, quoniam media non sunt merita, ideo solus Deus propter Christum iustificat media, & tota gloria transfertur in Deum & in Christum. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam &c. Psalm. 113. Iustificatio est remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, & remissio vitæ æternæ, sic retinetur remissio peccatorum.

Fides sola ante opera apprehendit iustificationem, sed illa apprehensio non sufficit, sed oportet facere etiam quod docet verbum & fides, Lucæ 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Matthæi 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine. Rom. 2. Non auditores legis &c. Quid prodest apprehensa scientia, si non sit vsus scientiæ? Iustificatio apprehensa exigit, vt viuat per pœnitentiam & charitatem. Nō est ociosa res fides. Hoc sentite in vobis, Philip 2. Ergo solum credere, sine propria etiam immutatione vitæ, non saluat, &c.

*AN SOLUM SIT VNICVM*

*medium, id est, fides, per quod Deus*

*iustificat peccatorem.*

TITVLVS XLIX.

**P**RIMO, vehemens persuasio adhæsit duobus illis populis, Iudæis & Ethnicis. Ethnici putabāt se iustificari adoratione, oblatione hostiarum coram suis idolis, & maximè etiam immolatione filiarum & filiarum, decepti ex historia Abrahamæ, qui voluit filium suum immolare, Genes. 22. Iudæi adhuc instinctu Sathanæ credunt se propter legis opera

L 1 4 iusti-